

erant: et quoniam inde non cogitabamus: et nunc inest memoria: inest dilectio huic intelligentie que cogitatione format: quod verbum verum sine vilius gentis lingua intus dicimus: quoniam quod nouimus dicimus: nam nisi reminiscendo non redit ad aliud: et nisi amando redire non curat nostre cogitationis intuitus: ita dilectio que visionem in memoria constiturat: et visionem cogitationis inde formatam quasi parentem prolemque coniungit: nisi haberet appetendum scientiam: que sine memoria et intelligentia non potest esse: quid recte diligeret ignoraret.

Tria que sunt in imagine dei: id est memoria intellectus et amor vnius esse persone: quia hoc non est ei esse quod hec habere. **Capitulum XXII.**

Erum hec que in vna sunt persona: sicut est homo: potest nobis quilibet discernere. **T**ria ista memoria: intellectus et amor: mea sunt non sua: nec sibi nec mihi agunt: quod agunt imo ego per illa. **E**go ei me memini per memoria: intelligo per intelligentiam: amo per amorem et quoniam ad memoriam meam aciem cogitationis aduerto: ac sic in corde meo dico quod scio: verbumque verum de scientia mea gignit: vtrumque meum est et scientia vtrumque et verbum. **E**go enim scio: ego dico in meo corde quod scio: et quoniam in memoria mea cogitando inuenio: iam me intelligere: iam me amare aliquid que intellectus et amor ibi erant: et antequam inde cogitarer: intellectum meum et amorem meum inuenio in memoria mea: quo ego intelligo: ego amo non ipsa. **I**tem quoniam cogitatio mea memor est: et vult redire ad ea que in memoria liquerat: eaque intellecta prospicere: atque intendere dicere mea memoria memor est: et mea vult voluntate non sua. **I**pe quoque amor meus cum meminit atque intelligit quid appetere debeat quid vitare: per meam non per suam memoriam meminit: et per intelligentiam meam non per suam quicquid intelligenter amat intelligit. **Q**uod breuiter dici potest. **E**go per omnia tria illa memini: ego intelligo: ego diligo: que nec memoria sum: nec intelligentia: nec dilectio: sed hec habeo. **I**sta ergo dici possunt ab vna persona que habet hec tria: non ipsa est hec tria: **I**n illi vero summe simplicitate nature que deus est: quis vnus sit deus: tres tamen persone sunt: pater et filius et spiritus sanctus. **A**liud est itaque trinitas res ipsa: aliud imago trinitatis in re alia: propter quam imaginem simul et illud in quo sunt hec tria imago dicitur: sicut imago dicitur simul et tabula et quod in ea pictum est: sed propter picturam que in ea est: simul et tabula nomine imaginis appellatur.

Quod vera in dei trinitate vnitas et que vera in eiusdem vnitate sit trinitas. **Capitulum XXIII.**

Erum illa summa trinitate que incommensurabiliter rebus omnibus antecellit: tanta est inseparabilitas: ut cum trinitas hominum non possit dici vnus homo: in illa vnus deus et dicitur et sit: nec in vno deo sit illa trinitas: sed vnus deus. **N**ec rursus quemadmodum ista imago quod est homo habens illa tria vna persona est: ita illa est trinitas sed tres persone sunt: pater filius: et filius: et spiritus patris et filii. **Q**uis enim memoria hominis: et maxime illa quam pecora non habent: id est qua res intelligibiles ita continentur ut non in eam per sensus corporis venerint: habeat pro modulo suo in hac imagine trinitatis incommensurabiliter quod dem impariter: sed tamen qualicumque similitudinem patris. **I**temque intelligentia hominis que per intentionem cogitationis inde format: quoniam quod scitur dicitur: et nullius lingue cordis verbum est: habeat in sua magna disparitate nonnullam similitudinem filii: et amor hominis de scientia procedens et memoriam intelligentiamque coniungens: tanquam parenti: prolique comitibus: vni nec parens intelligit esse: nec proles habeat in hac imagine aliquam licet valde imparem similitudinem spiritus sancti: non tamen sicut in ista imagine trinitatis: non hec tria vnus homo: sed vnius hominis sunt: ita in ipsa summa trinitate cuius hec imago est: vnius dei sunt illa tria: sed vnus deus est: et tres sunt ille non vna persona: quod sane mirabiliter ineffabile est: vel ineffabiliter mirabile cum sit vna persona hec imago trinitatis: ipsa vero summa trinitas tres persone sunt: inseparabiliter est illa trinitas personarum trium: que hec vnius. **I**lla que per se in natura diuinitatis siue id melius dicatur deitatis quod est: hoc est atque incommutabiliter inter se ac se equalis est. **N**ec aliquid non fuit aut aliter fuit: nec aliquid non erit: aut aliter erit. **I**sta vero tria que sunt in impari imagine: et si non locis quoniam non sunt corpora: tamen inter se nunc in ista vita magnitudinibus separantur. **N**ecque enim quia moles nulle ibi sunt: ideo non videmus in alio maiorem esse memoriam quam intelligentiam. **I**n alio autem e contra: in alio duo hec amoris magnitudine superant: siue sint ipsa duo inter se equalia siue non sint: atque ita a singulis binis: et binis singula: et a singulis singula: a maioribus minorum vincuntur: et quoniam inter se equalia fuerint ab omni languore sanata: nec tunc equabuntur re in natura immutabili: ea res que per gratiam non mutabitur: non equat creatura creatori: etiam quoniam ab omni languore sanabitur. **S**ed hanc non solum in corporelem: verum etiam summe inseparabilem vereque immutabilem trinitatem cum venerit visio que facie ad faciem

1. Cor. 13